



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XXI. De observandis in solenni Baptismo circa adultos ex Rituali Cardinalis Sanctæ Severinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38601

parochiales, & Curas Ecclesias promoveri non prohibentur. Sed & quandoque quis eorum, vir adeo insignis, & omnibus qualitatibus abundè præditus esse potest, ut ei etiam Cathedralis Ecclesia merito regenda committatur, ut & alias factum est.

Si quis eorum infirmatur, statim per designatos visitatores visitetur, & subsidio spiritali, & corporali, si opus fuerit, adjuvetur.

Similiter & aliorum pauperum, & indigentium Neophytorum cura habeatur, ne propter nimiam inopiam aliquando ad suos infideles confugere cogantur.

Horum vero indigentium Neophytorum numerus descriptus habeatur, ut quolibet mense, saltem aliquid ex pijs fidelium elemosynis, vel domus Catechumenorum redditibus singulis tribuatur.

Concedatur autem aliquibus laicis etiam Neophytorum, vitis probis, ut inter se, & cum alijs Christianis collectas faciant, pro hujusmodi pauperibus adjuvandis.

Cum vero graviter decumbunt, vel ad extremum vitæ finem pervenerint, tunc potissimum eos adjuvent, tunc infideles, & alios in fide suspectos ab eis arceant, & ut piè, religiosè ac Christianè Sacramentis Ecclesiæ moniti decedant procurant; ipsorumque animæ in exitu à Parocho ac alijs Presbyteris, & Religiosis Domino commendentur; nec non cum vita functi fuerint, cum 1 hymnis & Psalmis, ad Ecclesiasticam sepulturam de more offerendos curent, ac pro eorum animabus vigiliæ, & officia mortuorum decantentur, atque divinum missæ sacrificium offeratur, & tertio, septimo, vel trigesimo eorum depositionis die, exequiæ celebrentur.

Admoneantur autem, ne 2 mortuos more Judæorum, aut aliorum infidelium sepeliant, quod si unquam hoc facere deprehendantur, ab Ordinarijs locorum, seu ab ijs ad quos spectat, ipsis ne de cætero faciant, sub gravibus pœnis prohibeatur.

C A P V T XXI.

De observandis in solenni Baptismo circa adultos ex Rituali Cardinalis Sanctæ Severinæ.

Generalis solennisque Baptismus præsertim adultorum, qui bene valent, & incolumes in pacis securitate degunt, non nisi in Sabbato Sancto Paschæ, & Sabbato Pentecostes celebrari debet: solenniter enim baptizandis in Ecclesia electis hæc duo tantum tempora, constar esse legitima, & eadem ab omnibus ex Apostolica traditione observanda summi Romani Pontifices præceperunt.

Quæ etiam ratione constitutum est, ut cum Baptismi Sacramentum summè necessarium sit, tam parvulis, quam adultis, Baptismus ipse ac etiam Confirmatio non solum pueris, sed & adultis, propter moræ periculum exhiberi possint licitè tempore interdicti.

Propterea vigilet Sacerdos, ut si qui ex Catechumenis, dum instituuntur, fuerint mortis peri-

culo præventi, & in exitu vitæ constituti divinam gratiam imploraverint, eorum Baptisma non differat, sed ijs illico ministretur.

Quod quidem generaliter sollicitèque curandum est, ne quorumvis etiam adultorum graviter ægotantium, venientium ad fidem Baptismus nimiam differatur, verum quam primum eis exhibeatur, juxta præscriptum ordinem baptizandi infirmum.

Qui vero in ægritudine constituti Baptismus perceperunt, ubi convalescerint, fidei symbolum, atque alia sacra mysteria, Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi edoceantur; & in reliqua Christianæ vitæ doctrina rectè instituuntur: ut agnoscant gratiam quam acceperunt, & sciant qualem eos vitam ducere oporteat in futurum.

Quamvis autem Sabbato sancto Paschæ, & Pentecostes generalis ac sollemnis Baptismi Sacramentum celebretur, non tamen tunc illud omnibus ad fidem se venire asserentibus passim tradi convenit, sed his dumtaxat Electis, qui saltem ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejunijs fuerint expiati: quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, ut expurgato fermento veteri, nova incipiat esse conspersio.

Verum si circa, seu post tempora Pentecostes, cum aliud solemne Baptisma eo anno non est celebrandum, aliqui & maxime Judæi conversi fuerint, qui molestè ferant, suum Baptisma usque in sequens Pascha differri, & ad Baptisma festinate nolcantur, ne longa dilatio eorum possit animos revocare, cum ijs dispoñi potest, ut penitentia & abstinencia quadraginta dierum eis prius indicata, aut die Dominico aut celebriori festivitate, quæ fortassis occurrerit, omnipotentis DEI misericordia protegente baptizentur.

Cum illud, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit (ut Sanctus Cælestinus Papa ait) non otioso contemnimur intuitu, ut si parvuli, si adulti ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & exafflationibus Clericorum, Spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc verè appareat quomodo Princeps mundi huius miratur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus: Idcirco Catechumeni seu Electi antequam baptizentur, secundum Apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & jejunijs sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi.

Quamobrem caveat sacerdos, ne sine ullis spiritalium eruditionum preparationibus, ita rudibus & imperitis Baptismi sacramentum tradere præsumant, ut circa ipsos renovandos nihil doctrina Ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur.

Hæc autem, quo utilius & fructuosius circa adultos Catechumenos præstare valeat, interdum illos, dum sunt in Catechesi, vel inter tempora scrutiniarum, informare poterit de mysterijs fidei, ac de rebus pertinentibus ad ipsorum ædificationem & profectum, nec non de his, quæ circa ipsos aguntur, veluti de exorcismis, scrutinijs, catechesi, & gradibus Catechumenorum.

1. S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ epist. tom. 1.

2. Patres Conc. Basiliens. 19. in decr. de Jud. & Neophyt. paragr. Prohibeatur. Ex his Neophyt. Ec. & ex ijs Paulus III. in lit. de Jud. & alijs infidel. venientibus ad fidem. paragr. Et quoniam experientia, &c.

Exorcismus quidem Græcè, Latine dicitur *ad-juratio*, seu *inrepatio* adversus Diabolum, ut est illud *exi ab illo immunde Spiritus*, &c. & illud, *Exorcizo te immunde Spiritus, in nomine Patris*, &c. Unde exorcizare est adjurare, vel increpare. Exorcizatur enim malignus Spiritus, ut exeat, & recedat ab illo plasmate, quod jam dudum per peccatum primi parentis possidebat; quia juxta Apostolum, non est conventio Christi ad Belial, nec societas lucis ad tenebras; egrediantur tenebræ, lux vera Christus ingrediat; quocirca doceat non creaturam Dei in infantibus, seu Catechumenis exorcizari, aut exuffari, sed illum sub quo sunt omnes, qui sub peccato nascuntur, Principem peccatorum, ut ei renuntient, atque erui de potestate tenebrarum, in Regnum DEI veri Domini per sacramentum Baptismatis transferantur.

Scrutinia à scrutando dicta, quantum ad Baptismum pertinet, majores nostri appellaverunt *catechismos*, seu *catechizationes*, interrogationes, examina, exorcismos ad fidem venientium, & Catechumenorum: quod ita scrutarentur, hoc est, inquirerent, an iidem Catechumeni, qui juxta Apostolicam regulam prædictam, & exorcismis scrutandi, & jejunijs sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, Satanae, & operibus, & pompæ ejus verè abrenunciassent, & apti idoneique essent ad Baptismi Sacramentum suscipiendum. *Scrutinium* itaque est de fide, & Christiana Religione inquisitio, quæ fit à sacerdotibus & Clericis circa eos, qui ad illam se venire profitentur, ut ejus doctrina & Ecclesiastica disciplina infortmentur; quatenus diligenter de ijs perquisiti, & oprime edocti de die in diem proficientes, idonei efficiantur accedere ad gratiam Baptismi, ad quem est quasi iter, sive præparatio quædam. Fiunt autem *scrutinia*, ut in eis Catechumenorum corda Sacerdotes perfructentur, & sapias explorent, utrum in eadem fidei doctrina persistant, quam pridem eos docuerunt; vel adhuc perseverent abrenuntiare maligno spiritui, operibus & pompis ejus; & an post abrenuntiationem, sacra verba tradita fidei, ac symbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendarint, & ne qua radix amaritudinis in eis insit, neve illis prius sancta dentur, quam Christiana fides radices in eorum mentibus defixerit.

Catechisis sive *Catechismus* Græcè dicitur *instructio*: instituitur enim veniens ad fidem Ecclesiastico ministerio, per benedictionem imponentis manum, ut intelligat quis ipse sit, quisve futurus sit, hoc est, ut ex damnabili sanctus, & injusto justus, & ad extremum ex Diaboli servo filius DEI fiat.

Inde qui instruuntur, & à sacerdote audiunt doctrinam fidei, *Catechumeni* dicuntur: Catechumeni autem duobus modis intelliguntur, uno generatim omnes credentes, seu credere volentes in Christum, nondum tamen baptizati; altero vero speciatim, qui catechizantur, nondum tamen ad Baptismi gratiam festinant, ad differentiam *Competentium* & jam instructorum.

Ad fidem enim venientiam, primus gradus est *Catechumenorum*, secundus *Competentium*; tertius nuper baptizatorum, seu *Neophytorum*.

Licet autem apud præcos Sanctos Patres, alij essent audientes tantum, & alij Catechumeni: hic tamen audientes inter eos, qui ad Christi fidem veniunt, juxta aliquorum Patrum sententiam, non connumerantur: quod simpliciter tantum audient: non autem ad ipsam Christi fidem venire,

Thom. à Jesu Oper. Tom. I.

aut in eum credere velle, sicut cæteri Catechumeni faciunt, aperè profiterentur; atque ideo eidem Catechumenis loco & grada longe inferiores essent.

Catechumeni sunt, qui primum de Judaismo, vel de gentilitate veniunt, animo & voluntate in Christum credendi. Et quia primum exhortationis præceptum est in lege Dei: *Audi Israel, Dominus DEUS tuus, DEUS unus est*; inde is, cui per Sacerdotem quasi per Moysem Deus loquitur, Catechumenus, id est, audiens, nominatur, scilicet ut unum DEUM agnoscens, relinquat errores nefarios Idolorum. Sed & de omni infidelitatis secta ad Christum venientes Catechumeni dicuntur: Catechumenus quippe Græcè, Latine *Audiens*, seu *Auditor* dicitur, eo quod adhuc doctrinam fidei audit, quæ non libro, aut scriptura, sed verbo ipsi traditur, & solo auditu suscipitur; necdum tamen Baptismum perceperit, ad Christum autem veniens, ideo primum efficitur Catechumenus, ut ab eo per Christi gratiam ad fidei novitatem vocato, Dominus cæcitatem cordis, & pristinam conversationem expellat; ipse vero audiens à Sacerdote ejusdem fidei doctrinam credat, credens vero Baptismi gratiam consequi valeat.

Post Catechumenos secundus *Competentium* gradus est: *Competentes* autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant, & illam petunt, ut & à petendo, *Competentes* dicuntur, quasi simul petentes, quod postquam in fide instructi fuerint, simul Baptismum petant. Nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt, sunt enim quasi hospites, & vicini Fidelium, foris audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed nondum Fideles appellantur. *Competentes* vero jam petunt, jam accipiunt, jam catechizantur, id est, imbuuntur instructione fidei, & Sacramentorum: istis enim salutare symbolum traditur, quasi communitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi cognoscant, quales ad gratiam Christi exhibere se debeant.

Hic quoque *electi* dicuntur, vel quasi divina voluntate ad fidem, & Baptismi gratiam vocati, vel quod ad eam suscipiendam electi sint, qui in scrutinijs habitis idonei comperiantur, ut supra de scrutinijs dictum est.

Illuminandi item vocantur apud aliquos Sanctos Patres, præsertim Græcos, quod per Baptismum, quem mox susceperunt, luce divina gratia illustrati, ac fidei Christianæ mysterijs imbuti plenius illuminantur.

Tertius gradus venientium ad fidem est eorum, qui jam baptizati sunt, & *Neophyti* vocantur, quasi novi Fideles, seu nuper tenari, sive recens Christiani effecti: *Neophyti* enim Græcè, Latine *nova planta* interpretatur.

Catechumeni etiam in Ecclesiam semel, dum initiantur, sint admissi, ut in ea verbum Dei audire, ac seorsum à Fidelibus orare possint; non tamen ibi publicè divinis officijs, aut sacris Missæ mysterijs interesse debent, nisi *Missæ Catechumenorum*, quæ idcirco sic appellata, protenditur ab introitu, usque ad offertorium inclusivè: tunc enim juxta antiquum morem admoneri, & foras intui consueverunt, ita clamante Diacono: *Catechumeni foras exiunto*. Si quis est Catechumenus, exeat foras, vel, Si quis Catechumenus remansit, exeat foras: qua ratione, nec sacras ordinationes ipsis Catechumenis, sive audientibus, sive præsentibus fieri debere statutum est. Cæterum nec ad publicam Fide-

L 3

delium

delium benedictionem, aut orationem Catechumeni conveniant, sed in alio loco segregati orate jubeantur. In scrutinijs autem id, quod in illorum ordine præscribitur, observetur.

Curent autem Presbyteri, & Clerici, ad quos pertinet, ut Catechumeni impuberes, vel adulti memorie mandent symbolum, quod in tertio scrutinio eis traditum est, ut illud memoriter reddere possint in Sabbato sancto.

Quod vero in eodem scrutinio Presbyter interrogat, qua lingua Catechumeni confiteantur Dominum nostrum JESUM Christum, & symbolum Græcè, & Latine illis traditur; id inde factum, tum quod antiquitus in Romana Ecclesia venientes ad fidem, duabus potissimum linguis, nempe Græca, & Latina uterentur, velut quæ tunc in toto orbe Romano vigeant, & frequentius colebantur, tum propter earum linguarum dignitatem, quod reliquis præstantiores essent; tum denique propter mysticam illarum significationem, quod per Græcam sapientia, per Latinam vero Romanorum potentia, quæ Christo subjiciuntur, designarentur. Proinde Catechumeni, & Infantes, qua lingua Græcane, an Latina Christum Dominum confiterentur, interrogabantur, & utriusque eis tradebatur symbolum, ex præscripto Ordinis Romani, qui integre quoad id repositus est, non modo propter venerandæ antiquitatis memoriam, verum etiam, ut si quando aliqui ad fidem veniant, qui Christum Græca lingua profiteantur, is quoque ordo uti esse possit. Ac si præsto non sit Acolythus, qui Græcam linguam calleat, addit ejusdem lingue peritus interpret, qui pro Acolytho symbolum ea lingua pronuntiet.

Præterea si qui ex his, qui ad fidem veniunt, nec Græcam, nec Latinam, nec vernaculam linguam intelligant, sed Arabica, Turcica, Persica, aliave simili lingua utantur, per peritos & fideles interpretes, symbolum non solum, vel Græcè, vel Latine, sed etiam propria eorum lingua edoceantur, & illud eis fideliter explicetur.

Ad id etiam operæ pretium est symbolum Concilij Constantinopolitani, quo & sancta Romana Ecclesia utitur in Missa, descriptum vel impressum habere, Illyrica, Armenica, Chaldaea, Æthiopica, Arabica, & alia ejusmodi lingua; quod Christianis illarum nationum generibus, & cunctis Orientalibus, hoc symbolum potissimum sit in usu.

Ordo Baptismi continens brevem exorcizandi methodum, ex Rituali ut supra,

CUM Ministri omisso so'enni baptizandi ritu, voluerint aliquo breviori uti, accipiant sequentem. Primum Sacerdos interrogat:

Qui vocaris?

R. N.

Tum Sacerdos leviter exufflet in faciem ejus dicens:

Exi ab eo immunde Spiritus, & da locum Spiritui Sancto paraclito.

Deinde pollice faciat signum crucis in fronte & in pectore baptizandi, dicens,

Accipe signum Crucis, tam in fronte, quam in

corde, & sume scutum fidei celestium præceptorum; tibi esto moribus, ut templum DEI jam esse possis.

Oremus.

Omnipotens sempiterna DEUS, Pater Domini nostri JESU Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cacis atque cordis ab eo expelle, dirumppe omnes laqueos Satanae, quibus fuerat colligatus; apertis ei Domine januas pietatis tuae, ut signo sapientia tua imbutus, omnium cupiditatum satoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum latu tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Postea Sacerdos accipiat de sale, specialiter pro Catecheumenis exorcizato, si habet; vel si non habet & tempus superpetit (nam alioquin omittere debet) ita saltem benedicat.

Benedictio Salis,

Benedic Omnipotens DEUS hanc creaturam saltem tua benedictione celesti in nomine Domini nostri JESU Christi, & in unitate Spiritus Sancti tui, ad effugandam invidiam, quam tu Domine sanctificando sanctificas, & benedicendo benedicas. Fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina; permanentes in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri JESU Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

R. Amen.

Et de eo jam benedicto modicum accipiens, ponat in ore baptizandi, dicens:

Accipe sal sapientie, propitiatus in vitam æternam.

R. Amen.

Deinde imponit manum super caput ejus, & dicit:

Oremus.

Æternam, ac justissimam pietatem tuam deprecor Domine Sancte, Pater omnipotens, æterna DEUS, auctor luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentia tua, munda eum & sanctifica; da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui; teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendam gratiam Baptismi. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Item addit sequentem orationem dicens:

Oremus.

Medelam tuam deprecor Domine Sancte, Pater omnipotens, æterna DEUS, qui subvenis in periculo, qui temperas flagella dum verberas: te ergo Domine supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum N.

erud

eruas ab hac valetudine, & non prevaleris inimicus usque ad animam, sed sicut in Job, tentationis terminum pone; ne idem inimicus de anima ista sine redemptione Baptismatis incipias triumphare: Dissis Domine exitum mortis, & spatium vite extende, releva, quem perducas ad gratiam Baptismatis. Per Christum Dominum vestrum.

R. Amen.

Tunc introducat eum in Ecclesiam, dicens: Ingredere in templum DEI, ut habear partem cum Christo, in vitam aeternam.

R. Amen.

Et introducto sacerdos imponens manum super caput ejus, dicit Symbolum, & orationem dominicam cum ipso, vel cum Patrino.

Credo in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem cali & terra. Et in IESUM Christum filium ejus unicum Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex MARIA Virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad celos, sedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Vitam aeternam Amen.

Pater noster, qui es in calis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Deinde etiam imposita manu super caput ejus dicit.

Exorcismus.

Nec te lateat satana, imminere tibi penas, imminere tibi tormeta, imminere tibi diem iudicii, diem supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut chubanus ardens, in quo tibi, atque universis angelis tuis aeternus erit interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem DEO vivo, da honorem IESU Christo Filio ejus, & Spiritui sancto paraclito; in cuius nomine, atque virtute precipio tibi, quicumque es Spiritus immunde, ut exas & recedas ab hoc famulo Dei N, quem hodie idem DEUS, & Dominus noster IESUS Christus a suam sanctam gratiam, & benedictionem fontemque Baptismati, dono vocare dignatus est, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri IESU Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & saeculum per ignem.

R. Amen.

Tunc sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, & tangat aures, & nares baptizandi, dicens primo ad aurem dexteram.

Ephpheta, quod est, *ad aperire*; deinde ad nares: in odorem suavitatis; Postea ad aurem sinistram: Tu autem effugare Diabole: appropinquabis enim iudicium Dei.

Deinde interrogat, & Patrino, vel Matrino responderet, si baptizandus sit Infans, si autem sit adultus per seipsum responderet, dammodo sciat; sin minus, similiter Patrino vel Matrino pro eo responderet, ut infra.

N. Abrenuntias Satanæ

R. Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus?

R. Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus?

R. Abrenuntio.

Post Sacerdos in iuncto pollice in oleo Catechumenorum, ungit infirmum in pectore, & inter scapulas, in modum Crucis, dicens:

Ego te linio oleo salutis, in Christo IESU Domino nostro.

Et loca inuncta, & pollicem suum bombaceo vel stupa abtergit.

Deinde veniunt ad Baptisterium, ubi si aqua Baptismi defecerit, aut non habeatur, & necessitas non adeo urgeat, Sacerdos benedicat aquam benedictione minori, quæ dicitur ad succurrendum, prout habetur hic in fine.

Hoc etiam necessitatis casu, cum novum adhuc oleum Catechumenorum, vel novum Chrisma Sacerdos non habet, tam in ipsa aquæ benedictione minori, ut notatur in ea, quam in unctionibus baptizandi, veteri oleo & Chismate uti potest.

Tunc Patrino, vel Matrino, vel utroque si simul admittantur, tenente baptizandum, & respondente, ut supra, Sacerdos interrogat:

N. Credis in DEUM Patrem omnipotentem, creatorem cali & terra?

R. Credo.

Sacerd. interrog. Credis & in IESUM Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum & passum?

R. Credo.

Sacerd. interrog. Credis & in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, vitam aeternam?

R. Credo.

Sacerd. interrog. N. Vis baptizari?

R. Volo.

Et Sacerdos urceolo, vel ampulla accipit aquam baptismalem, & de ea terfundens intingit caput baptizandi in modum Crucis, ac simul dicit:

N. Ego te baptizo in nomine Patris, intingit primo. Et Filij, intingit secundo, Et Spiritus Sancti, intingit tertio.

Postea intincto pollice dextero in Chismate, baptizandum linio in vertice in modum crucis, dicens:

DEUS omnipotens Pater Domini nostri IESU Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, qui que dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linat Chismate salutis, in vitam aeternam.

R. Amen.

Tum bambacio vel stupa pollicem tergit, & imponit albam, seu candidum linteolum, capiti infirmi, dicens:

Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri IESU Christi in vitam aeternam.

R. Amen.

Et nisi linteolum in loco unctionis Chismatis retineatur, donec illa exsicceat, eodem linteolo, vel bambacio aut stupa eam abtergat.

Deinde det candelam accensam in ejus, vel Patrini dexteram, dicens:

Accipe lampadem irreprensibilem, custodi Baptis-
mum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis
occurrere ei in aula caelesti.

R. Amen.

Si plures fuerint baptizandi, vel diversi sexus,
præcedentes preces in plurali numero, & in suo
genere dicantur; exufflatione tamen, crucis signa-
tione, narium, & aurium tactu cum saliva, abren-
untiationis interrogatione, unctiōe cum oleo
sancto, interrogatione de fide, ipsius Baptismi in-
tinctione, Chriftianis linitione, candidæ vestis, at-
que candelæ traditione, exceptis quæ singulariter
super singulos, tum masculos, tum feminas, si tem-
pus permittat, fieri debent.

Postea Sacerdos sequens Evangelium legere,
& sequentes orationes, vel earum alteram dicere
poterit super baptizandum.

Sequentia Sancti Evangelij secundum Matthæum.

Resp. Gloria tibi Domine, Et in retin signat librum,
se ipsum ac baptizandum, nisi sit adultus, qui se-
met signare possit.

In illo tempore: Circuibat IESUS omnes civitates
& castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans
Evangelium Regni, & curans omnem languorem, &
infirmis.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui regenerasti
famulum tuum N. ex aqua & Spiritu sancto, qui-
que dedisti ei remissionem omnium peccatorum: tribue
ei continuam gratiam, ad agnoscendam bonitatis tua
veritatem. Per Dominum nostrum IESUM Christum
filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejus-
dem Spiritus sancti DEUS per omnia secula seculor-
um.

Resp. Amen.

Oremus.

Omnipotens & misericors DEUS Majestatem
tuam supplices deprecamur, ut famulum tuum
dignis serenis aspectibus tuis præservare: & cui dona-
sti Baptismi Sacramentum, longam tribuas gratiam
& sanctitatem. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. Amen.

Si baptizandi plures fuerint, superiores oratio-
nes dicantur in numero plurali, & si diversi sunt
sexus, dicatur, *familios, & famulas tuas.*

Si Episcopus adsit, hoc ordine baptizandus ab
eo confirmetur. Ille quidem in habitu decenti, si-
ve acceptatantum stola super rochetum, aut si
est Regularis, super superpellicem, ita dicat.

✠. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit calum, & terram.

✠. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

✠. Dominus vobiscum,

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui regenerare dig-
natus es, hunc famulum tuum ex aqua, & spiritu
sancto, qui que dedisti ei remissionem omnium peccato-
rum: emitte in eum septiformem Spiritum tuum san-

ctum paracletum de calu, Spiritum sapientia, & intel-
lectus, spiritum consilij, & fortitudinis, spiritum scientia
& pietatis, reple eum spiritu timoris tui, & config-
na eum signo Crucis Christi, in vitam perpetuam
aternam. Per eundem Dominum nostrum IESUM
Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in
unitate ejusdem Spiritus sancti DEUS, per omnia se-
cula seculorum.

R. Amen.

Cum plures sunt, prædictam orationem dicat
in numero plurali & genere proprio.

Tum sedens accipit mitram, & intincto pollice
dextro in Chriftianate faciens crucem in fronte
baptizandi, sic dicat.

N. Configno te signo Crucis, & confirmo te Chrifti-
mate salutis †, (& manu producentis ante faciem
signum crucis subjungat) In nomine Patris, & Filij,
& Spiritus Sancti.

R. Amen.

Deinde genam ejus leviter tangens, dicat.

Pax tecum.

R. Et cum spiritu tuo.

Et benedicat eum dicens:

Benedicat te omnipotens DEUS Pater †, & Fi-
lius †, & Spiritus Sanctus †.

R. Amen.

Si sint plures, dicat in numero pluralium, *Benedi-
cat vos, &c.*

Si autem periculum urget, & temporis angustia
non permittit, omittis alijs precibus, faciens cru-
cem de Chriftianate in fronte ejus, absolute dicat
verba formæ Confirmationis.

Configno te signo Crucis, & confirmo te Chriftianate
salutis †, &c. ut supra.

Ac demum si est adultus, aut ea ætate qua dis-
cernat, etiam si Episcopus desit, & propterea con-
firmatus non sit, sacram ei Sacerdos exhibeat Eu-
charistiam; dummodo sit jejunus, nisi adeo gravi-
ter laboret, ut ei etiam non jejuno in viaticum
danda sit. Communicet autem ei Sacerdos corpus
Domini absolute dicens:

Corpus Domini nostri IESU Christi custodiat te
in vitam æternam.

R. Amen.

Postremo hortetur Patrinum, vel Matrinam,
& qui circumstant, ut pro eius salute orent.

Benedictio aquæ Baptismi minor,
quæ dicitur ad succur-
rendum.

Cum Neophytum baptizari oportet, si aqua
Baptismi consecrata defuerit, Presbyter ap-
ponat aquam in aliquo vase mundo, & benedicat
eam, non benedictione majore, quæ fit in Sabbato
Sancto, sed ista minore, quæ dicitur ad succur-
rendum, hoc modo.

Oremus.

Exaudi nos omnipotens DEUS, & in hujus aqua
substantiam tuam immitte virtutem, ut abluen-
dus per eam, & gratiam & vitam mereatur æternam.
Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Exor.

Exercitio te creatura aqua in nomine Dei Patris omnipotentis †, & Domini nostri IESU Christi Filij eius †, & Spiritus sancti †: si quod phantasma, si qua virtus inimici, si qua incurfus Diaboli, eradicare, & effugare ab hac creatura aqua, ut fiat fons saliens in vitam aeternam; & qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum DEI vivi, & Spiritus sanctus habitet in eo, in remissionem omnium peccatorum, in nomine eiusdem Domini IESU Christi, qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

R. Amen.

Deinde sacerdos mittat Chrisma in aquam in modum crucis, dicens:

Sanctificetur & facundetur fons iste hoc salutifero Chrysmate, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

R. Amen.

Quod si nondum habuerit novum Chrisma, in huius necessitatis casu vetus poterit adhibere; si vero neque novum, neque vetus habeat, omnia Chrysmatis infusione in aquam, cum ea, ut supra benedicta baptizet eum qui baptizandus est.

Ordo Baptismi tempore necessitatis.

SI Baptizandus graviter ægrotet, vel Ministri premanur aliqua necessitate vel periculo, ita ut perfici non possint Exorcismi ab Ecclesia recepti, omittis omnibus, quæ Baptismum præcedunt, baptizet eum ut supra per intinctionem, seu infusionem aquæ super caput ejus tantum dicens:

Ego te baptizo In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus sancti †.

Et si mors instet, non ter, sed semel, in modum crucis caput aqua intingat, dicens ut supra.

Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Verum si aqua Baptismi non habeatur, & periculum sit in mora, ita ut nec tempus superpetat ad illam benedicendam benedictione minore ad succutrendum, prætermittitur aquæ benedictione, accipiat aquam simplicem, & de ea, ter, vel etiam semel tantum, si mors instet, ut dictum est, parvulum vel adultum periclitantem, supra caput aspergat, seu intingat, dicens:

Ego te baptizo in nomine Patris, &c. ut supra proximè.

Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice in modum crucis dicens:

DEUS omnipotens, Pater Domini nostri IESU Christi, &c.

Postea det ei candidam vestem, seu linteolum, dicens:

Accipe vestem candidam, & immaculatam, &c.

Et demum candelam accensam, dicendo:

Accipe lampadam irreprehensibilem, &c. ut supra in eodem proximo ordine habetur.

Et si adhuc superstes est, & Episcopus adest, ab eo confirmetur, ut supra in eodem ordine. Et deinde si est adultus, vel in ætate discretionis, & morbo non impediatur, communicet.

Sed e si Episcopus adsit, similiter Presbyter sacram ei communionem, seu viaticum præbeat, & hortetur circumadstantes, ut orent pro eo. Idem quoque ordo servetur, si parvulus, vel adultus in quovis alio supremæ necessitatis casu, aut imminenti mortis periculo fuerit constitutus.

FINIS.



ANIM.